

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6326

Auteur(s) : Rouen (official)

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Lô (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1273, 24 juillet

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume de Fécamp reconnaît devant l'official de Rouen qu'un manoir sis à Froberville appartient aux religieux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° XIII d, p. 305-306.

Texte établi d'après a

Omnibus hæc visuris officialis Roth. salutem in domino. Noveritis quod in nostra presentia constitutus Guillelmus dictus de Fiscano dictus Carpentarius presbiter rector ecclesie Sancte Helene de Frobervill tunc temporis ut dicebat recognovit quoddam manerium situm in parrochia ecclesie memorate ante maram communem dicte ville de Frobervilla iuxta manerium heredum Galterii Hochart sicuti se perportat dictum manerium in longum et in latum tam in porta, granchia, curie domibus, clausuris et aliis quibuscumque edificiis ibi factis ad religiosos viros priorem et conventum sancti Laudi Rothom. et eorum monasterium predictum tam iure proprietatis quam possessionis pertinere et debere pertinere. Recognovit etiam idem presbiter eoram nobis quod ipse hoc anno presenti contra voluntatem dictorum religiosorum auctoritate propria minus iuste intravit possessionem manerii prevocati. et quod in quadam domo dicti manerii sic intratus per quinque dies vel contra voluntatem dictorum religiosorum moram tenuit. et quod ipso exeunte dictum manerium cum non pateret sibi aditus redeundi ad dictum manerium sicuti nec debebat patere alta voce clamavit harou et pluries. ad cuius clamorem venit serviens loci predicti domini regis et ad eius instanciam domum quæ est supra portam dicti manerii cum quibusdam domibus eisdem adiacentibus per dictum servientem in manum domini regis capi fecit et etiam arrestare minus iuste. quamvis ius non haberet in premissis necnon et dictos religiosos aiornare fecit ad assisias domini regis responsuros et processuros super his que intendebat petere a dictis religiosis ratione manerii predicti. quæ premissa omnia et singula idem rector promisit coram nobis se emendaturum dictis religiosis ad voluntatem, dictum, vel ordinationem prioris dicti loci et se dictos religiosos super aiornatione predicta et super omnibus et singulis que ex dicta aiornatione sequi possent quoquomodo omnimodo deliberaturum et indemnes penitus servaturum erga quoscumque. Promisit idem rector quod ipse in dicto manerio vel aliqua parte ipsius ratione proprietatis et possessionis nichil de cetero per se vel per alium aliquatenus reclamabit nec eos super predicto manerio aut aliis premissis vel aliqua premissorum ratione quacumque per se vel per alium aliquatenus molestabit seu etiam perturbabit. promisit etiam coram nobis quod ipse publice profitebitur et publicabit in ecclesia predicta de frobervill coram parrochianis dicte ecclesie et alibi ubicumque et quocumque dicti religiosi sibi viderint expedire quod dictum manerium tempore intrationis predictæ spectabat et spectat ad dictos religiosos et eorum monasterium tam iure proprietatis quam possessionis. Hec autem

omnia predicta et singula prout superius sunt expressa promisit idem rector coram nobis iuramento ab ipso prestito corporali spontanea voluntate sua se dictis religiosis et eorum successoribus observaturum firmiter et impleturum firmiter fideliter et inviolabiliter et se contra in aliquo non venturum. In cuius rei testimonium presenti scripto sigillum curie nostre ad instantiam partium duximus apponendum. Datum anno domini mo. cco. LXXmo die lune post Magdalenam.